

- I. *Differtatiuncula de Agno Vegetabili Scythico, Borametz vulgo dicto. Auctore D^{no} Joh. Phil. Breynio, M. D. Dantisc. R. S. S.*

I.

NON fingendum, sed inveniendum, quid Natura faciat, aut ferat. Aurea hæc verba utinam continuo animo obversarentur illorum, qui reconditos Naturæ thesauros quærunt & ejus arcana rimantur. Hoc si factum fuisset olim, certe Historiam Naturæ per se amplissimam, tot ac tantis non haberemus inquinatam anilibus fabulis & opinionum commentis. Cujus rei exemplum nobis in præsentiarum præbet Agnus dictus Vegetabilis Scythicus, Barbaro nomine *Borametz, Borometz* vel *Boranetz* inter Historiæ Nat. Scriptores notus.

II.

DE hoc Agno Vegetabili imprimis egerunt Athanasius Kircherus in Opere de Arte Magnetica, (*a*) qui citat Sigismundum L. B. ab Herberstein, Haytonem Armenum, Surium & Jul. Cæf. Scaligerum, Franciscus Baco de Verulamio, (*b*) Fortunius Licetus, (*c*) Andreas Libavius, (*d*) Eusebius Nierenbergius, (*e*) Adamus Olearius (*f*) & Olaus Wormius, (*g*) ut cæteros, quos inter multi Botanici, qui eandem fere canunt cantilenam, nunc taceam.

(*a*) p. 504, & 505. (*b*) Histor. Natur. Cent. 7. N^o. 609. (*c*) de Spontaneo Viventium Ortu. C. 45. (*d*) Historia Agni Scythiæ. (*e*) Histor. Natural. p. 34. (*f*) de Itinere Persico. p. m. 155. (*g*) Mus. p. 190.

III.

H U N C Julius Cæs. Scaliger (*b*) titulo Agni Scythici, Borametz, sequentem in modum describit:
 “ Superiora ludum putes, prout est admirabilis Tartaricus frutex. Tartarorum horda primaria Zau-
 “ olha est, vetustissimæ nobilitatis commendatione. In
 “ eo agro ferunt semen seminis Melonis simillimum,
 “ sed minus oblongum. Ex eo fatu plantam exire,
 “ quam Borametz, id est, agnum vocant. Crescit
 “ enim agni figura ad pedum fere ternum altitudi-
 “ nem : quem pedibus, unguis, auribus, toto capite,
 “ præterquam cornibus, repræsentat. Pro cornibus
 “ pilos gerit, singularis cornu specie. Obducitur co-
 “ rio tenuissimo : cujus detracti usus ad capitum
 “ tegmina incolis. Ferunt internam pulpam Gam-
 “ mari referre carnes. Cæterum è vulnere quoq;
 “ sanguinem manare. Dulcore esse admirabili. Ra-
 “ dicem humo exertam furrigere ad umbilicum usq;
 “ Illud miraculi fovet magnitudinem. Quandiu vici-
 “ nis obsidetur herbulis, tamdiu vivere, quasi agnum
 “ in læto pascuo. Absumptis illis, tabescere, atq;
 “ interire. Idque non solum vel casu, vel tractu
 “ temporis, sed etiam experiundi gratia, subtractis,
 “ atq; ablatis evenire. Quin illud auget admiratio-
 “ nem : appeti à Lupis eam, non item ab aliis bestiis,
 “ quæ carne vescantur. Hoc quasi condimentum,
 “ atq; intritum, ad fabulæ, & agni allusionem. Illud
 “ scire velim : Ab uno stipite, quatuor diffra crura
 “ cum suis pedibus qui possint provenire, atque pro-
 “ duci.

“ Hæc, quod non ignorarem haud ingrata fore tibi,
 “ cæterisq; Philologiæ studiosis, enarravi partim à nobi-
 “ lissimis,

(*b*) de Subtilitate, Contra Cardanum Exerc. 181. Sect. 29, & 30.

“ Iiffimis, partim ab exercitatiffimis in rerum Natura
 “ viris non folum lecta, fed etiam audita : quibus in-
 “ genii tui ampliffima fpatia implere aliqua ex parte
 “ poffes.”

Pari ratione cæteri eum defcribunt, vel potius ex Scaligero exfcribunt Authores, quorum tamen nonnulli in quibusdam circumftantiis variant, & Athanafius Kircherus ejufdem addit, vel ut rectius dicam, fingit figuram. Imo in nonnullis Rerum Nat. Mufæis, ut in Wormiano, Swammerdammiano, &c. ejus, uti volunt, quondam demonftrabatur detracta pellis.

IV.

ANTONIUS DEUSINGIUS (*i*) rem accuratiori rationis trutina examinans, fabulofa effe, quæ de Agno hoc traduntur, fubolfecit, & ipfum Julium Cæf. Scaligerum, qui inter primos Authores, ut fupra dictum, ejus meminit, eum ut fabulam tractâffe evincere conatur : Quemadmodum & alii, minus creduli, eundem in dubium vocârunt.

V.

ET revera totam hanc de hoc Agno Hiftoriam, fi ab animo præjudiciis vacuo accurate examinetur, fabulam fapere, imo effe, & Deufingium recte judicâffe, fequentes evincunt rationes.

1^o. Quia à nullo fide digno Authore Agnus ejufmodi Vegetabilis unquam vifus. Quæ enim Olaus Wormius (*k*) narrat ex relatione D. Eovaldi de Kleifs, Electoris Brandenburgici Legati, (ipfi fcilicet in confinibus Tartariæ degenti à Tartaro quodam fuiſſe oblatam ejufmodi plantam exficcatam, foliis Tabaci, cu-

(*i*) De Agno Vegetabili, quod extat in Fasciculo ejus Differtationum felectarum, p. 598. & ſeq. (*k*) *l. c.*

jus cauli adhærebat fructus, agnellum figura plane referens, magnitudine pedali, vellere crispo tectus) suspecta sunt, cum Vir ille Nobilissimus, ab astuto quodam Tartaro, ipsi fucum faciente facile seduci potuit. Quid vero de pellibus, quæ hoc nomine in Musæis demonstrantur, sentiendum sit, ex infra dicendis apparebit.

2^o. Quia à Doctiss. & Rerum Nat. Scientissimo Engelberto Kæmpfero, M. D. (1) in supposita hujus Agni patria anxie licet quæsitus, tamen nihil huic simile inventum; hæc enim ejus sunt verba: “ Quia de
“ existentiâ Zoophyti gramina pascentis, nullibi Tar-
“ tariæ apud vulgum, vel Botanicæ peritos extat
“ notitia & memoria, prout ipse ad risum & nauseam
“ exploravi, neq; ulla res Borometz dicta, præterquam
“ ovinum pecus ibidem potest reperiri, meram esse,
“ quicquid de hac planta proditur, fictionem & fa-
“ bulam afferimus.”

3^o. Denique quia tota de hoc Agno relatio fabulæ ad eò videtur similis, ac ovum ovo.

VI.

FABULÆ autem hujus originem optime detexit diligentissimus Naturæ in Orientalibus Regionibus Scrutator, jam jam laudatus Kæmpferus loc. cit. ubi (præmissis de Etymologia vocis Borometz, quod corruptum ait ex Moscovitico Boranetz, Polonicè Baranek, quod diminutivum est vocis Baran Sclavonicæ originis, Polonis Russiq; ovem significantis) ait, in quibusdam Provinciis circa Caspium Mare esse quoddam ovium genus, præter vulgare nobis cognitum, quod ab eo in multis discrepat, imprimis commenda-
bile

(1) Observat : de Agno Scythico s. fructu Borometz qui, extat in Dissert. sua inaugurali, nec non in Amoenitatum Exoticarum Fasciculo III. Obs. 1.

bile pellicum elegantia, quas describit, & qua ratione
 ad usus pro vestimentis adornandis Tartaris Persisq;
 familiares præparentur, docet, & addit: “ Magnatum
 “ divitumq; fastum supra vulgi sortem amiciri cupi-
 “ entem, pullorum pelliculas expetere, qui annosis
 “ multo teneriores & eo quidem cariore, quo juniores
 “ fuerunt agnelli, quibus detractæ sunt; horum enim
 “ pili à pellicionibus cogi patiuntur in subtiliores &
 “ densiores cirros, qui toti pelliculæ pretium & venu-
 “ statem tribuunt. Inde fit, ut teneritatis & lucri
 “ insidiatores non vereantur ipsam anticipare, crudeli
 “ laniena, nativitate, & matribus uterum gerentibus,
 “ dissecto ventre partum ante partum eximere, solius
 “ gratia pelliculæ obtinendæ. Hæc rite elaborata,
 “ tam dubiam profus & delicatissimam teneritatem
 “ exhibet, ut resectis extremitatibus, vix agninæ cu-
 “ tis retineat similitudinem, sed ignaram credulita-
 “ tem, specie quadam membranæ cucurbitinæ lanugi-
 “ nosæ possit decipere. His subjungit: Pretium pel-
 “ liculæ, pro bonitatis opinione, exsurgit ad aureos
 “ tres, vel amplius; servit ea pro duplicatione mitra-
 “ rum, nec rarò, ornatus gratia, togarum & amicu-
 “ lorum limbum constituit. Tandem concludit: Sive
 “ fabula hæc natales debeat conjecturæ alicujus con-
 “ templatoris Philosophi, sive inscitæ tribuenda sit pri-
 “ mi relatoris, qui per linguæ ignorantiam, vel incu-
 “ riam, in parergo rem auditam perperam intel-
 “ lexisse potuit, sive cuicumq; acceptam referamus
 “ occasione alii, qua per longe distitas regiones pas-
 “ sim provecta, ambigæ teneritatis pellicula, integri-
 “ tatem historię ac nominis sui amiserit: donec tan-
 “ dem appulsa nobis cum prodigii lepore, in *Virum*
 “ illustrem, curiosum & hujus peregrinæ lanuginis
 “ admiratorem incidens, vegetabili vultu suo fide m
 “ prodigii, ut solent mirabilia omnia, nullo negotio
 “ fecerit.

“ fecerit. Sic autoritate illustratus error, mox scriptis quoq; firmatus, sapientissimorum ingenia & vulgi opinionem ita occupavit, ut hodie pro Zoophiti specie inter rariora Musæorum ostentari soleat, quæ verissima Cæsarei foetus pellicula est.” Hactenus ille.

Ex citatis patet pelles illas agninas Perficas, quæ à Pellionibus nostris *Persianische Baranken* salutantur, hujus esse generis, quamvis non optimæ notæ, illorum scilicet agnorum, qui Cæsarea sectione ex Matrum uteris excinduntur, cum earum pretium, teste Kæmpfero ad aureos tres, vel amplius in ipsa eorum patria exurgat, nostræ verò pretio longe minori apud nos, unico scilicet aureo, ad summum veneant.

VII.

INTERIM ante triennium circiter Vir quidam eruditus & curiosus ex Moscovia iter faciens & Urbem nostram transiens, Musæolum meum, inter alia quædam Naturalia, Agno ejusmodi, ut vocabat, Scythico, quod pro genuino Borometz, ceu magnum *Κεϊμήλιον* venditabat, ditavit. Hic sex pollicum præter propter erat longitudinis, capite cum auribus & quatuor cruribus instructus, coloris ferruginei & totus lanugine quadam instar panni holoserici villosi *Gammet* vulgo dicti, tectus, auribus & cruribus, quæ glabra erant, coloris ad fuscum magis vergentis, exceptis. (*) Ad examen vocatum cognovi, non esse animalis naturæ, neq; fructum alicujus plantæ, sed radicem cujusdam vegetabilis crassam, reptantem & villosam, vel potius caulem scandentem plantæ alicujus, qui arte obstetricante figuram aliqualem animalis quadrupedis acquisiverat. Crura enim quatuor erant tot reliquiæ caulium,

(*) Vid. Figuram naturali dimensione expressam.

lium, vel si mavis pediculorum abscissorum, qui folia sustentaverant, quemadmodum & aures, qui tamen cornibus similiores; præterea hinc inde emergentes fibræ, per quas more cæterarum nutrimentum radix crassa, vel potius caulis & per hunc planta ceperat, nullum amplius relinquebant dubium. Quartum quoq; crus anterius, non ut cætera corpori continua, sed arte erat intrusum, quemadmodum & ipsum cum collo caput subtili modo annexum, accuratiori examine deprehendi. Ut adeò hic Agnus eodem artificio ex radice hac vel caule formatus fuerit, quo Homunciones ex Mandragoræ & Bryoniæ radicibus, qui *Astræum* vulgo dicuntur ab Agyrtis. Remansit mihi tamen dubium, ex qua planta hoc ludibrium artis & naturæ efformatum sit, quanquam mox subiit cogitatio, illud plantæ cuidam ex capillarum genere vulgo dicto adscribendum esse, cujus varia habebam indicia, ab analogia mihi cognitarum quarundam exoticarum specierum, nonnullarumq; ab Illustri D^o Hans Sloane & Rev. P. Carolo Plumier in splendidissimis suis Operibus descriptarum & delineatarum; utpote, quarum diversæ caules scandentes ejusmodi lanugine ferruginea *s.* rufescente musco, ut vocant, tectos emittunt. Interim tamen, ex qua specie præcise, determinare non valui. Peculiarem itaq; forte nondum descriptam speciem esse, quæ in Tartaria reperitur, arbitror, donec cum tempore certiora edoctus fuero.

VIII.

HANC meam sententiam confirmant, quæ postmodum legi in Transactionibus Philosophicis Anglicanis (*m*) ubi Illustri D^s. Hans Sloane, Collegii Med. Lond.

(*m*) N^o 287. p. 861. quod etiam reperitur in *the Philosophical Transactions abridged by John Lowthorp*, Vol. 2. p. 646. f. 160.

Lond. nunc Præfes & Regiæ Societatis Vice-Præfes digniffimus fimilem Agnum Scythicum fictum ex India Orientali nactus, descripsit & delineavit, qui tamen longe minus Agni figuram refert, quàm meus memoratus. De ejus origine eandem modo laudatus Vir mecum fovet fententiam; cæterùm ait, lanuginem ejus in usu effe contra Hæmoptysin, ad fex grana pro doli ter exhibitam, præterea ejufdem lanuginis mentionem fieri à Merretto (*n*) titulo POCO SEMPJE, *f. a Golden Moss*, ubi Virtus ipfi cordialis adfcibitur. Porro fibi certò relatum, lanuginem hanc in China adhiberi pro fiftendo fanguine in vulneribus recentibus, ut apud nos telæ araneorum, ibidemq; in tanta æftimatione haberi, ut paucæ familiæ hac careant; dum ipfe fæpius in fputo fanguinis ufurpatam meminerit, ubi tamen non infallibile remedium hoc, licet innocens, expertus eff.

IX.


CREDO autem ejufmodi Agnos ex certis radicibus vel caulibus in Mofcovia & Tartaria effingi, ut aliquo modo Hiftoriæ Agni Scythici Vegetabilis adfruat Veritas. Quis autem non videt hunc ab eo, qui a fupra citatis Authoribus defcribitur, plane diverfum, nec tanta admiratione dignum effe, cum etiam hic ex variis radicibus varia portenta, quæ rerum naturalium quarundam fimilitudinem aliqualem habeant, effingi poffint; quemadmodum fupra de Mandragoræ radicibus retuli, dum interim hic non magis agnus dicendus, fed radix vel caulis revera eff & manet plantæ cujufdam, ac Homunciones *Allraunen*, Belgice *PISSE DIEF JES* (*o*) dicti, radices Mandragoræ.

II. De

(*n*) In Appendice ad Nehemiæ Gravii Muf. Soc. Reg. p. 386.

(*o*) De quibus Vid. Deufingius de Mandragoræ Mangoniis, quod extat in Ejufdem Fasciculo Difertationum, p. 586, nec non Miscellan. Natur. Curios. D. I. A. I. Obf. 48.

Philos Trans N^o 390



Agnus Scythicus vegetabilis,
Borometz dictus,
ex
Musco Breyniano.